



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

1. Qvod Remedium destituto appellationis beneficio? Quid Restitutio in integrum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

Sed etsi quis appellationis beneficio des-
 titutus sit, ut in casu quo à Principe
 Summo appellatio non procedit, ei tamen
 succurritur per remedium, ut vocant, ex-
 traordinarium juris, vel per restitutio-
 nem in integrum, vel per supplicationem,
 vel per syndicatum. Restitutio in inte-
 grum, hoc loco est, in pristinum statum
 repositio sive reductio. *can. fin. in fin. 2. q. 3.*
 Sive pristini juris reintegratio, sic ut u-
 nusquisq; jus suum integrum recipiat,
 perinde ac si nullum negotium esset, *L.*
quod si minor. §. restitutio. ff. de minor. Da-
 tur verò non statim quibusvis, sed certis
 personis, & iustis de causis cognitis & pro-
 batis, eamq; intra præscriptum à jure ter-
 minum peti necesse est. Imprimis ergò
 datur minoribus 25. annis, si ipsi vel eo-
 rum tutores, aut procuratores ex senten-
 tiâ Judicis sive definitivâ, sive interlocu-
 toriâ, vel alio actu judiciali læsi sint. *L. 1.*
& toto tit. C. si adversus rem jud. Vel aliàs
 contrahendo, vel omittendo læsos se pro-
 baverint *cap. constitutus. 8. h. t.* dummodo
 duo probent; & ætatem minorem, & læ-
 sionem sufficientem. *L. 4. ff. de jurejur. L.*

nam postea. §. si minor. eod. quia non facile ob-
 rem modicam rescindi debet id, quod ju-
 re subsistit, L. si ex causâ ff. de minor. neque,
 ut vulgò dicitur, de minimis Prator cu-
 rat. Sed neq; maximam læsionem esse o-
 portet seu quæ tanta fit, ut excedat dimi-
 dium justii pretii: quia cum tunc minor i-
 pso jure tutus & communi auxilio muni-
 tus sit, L. 2. C. de resc: Vend: hoc remedio ex-
 traordinario opus non habet. Secundò,
 exemplo minorum competit Reipublice
 L. 4. C. ex quibus caus: minor. & similiter Ec-
 clesie, si læsa sit, sive contrahendo, sive ali-
 enando. C. 1. hoc tit. sive extra, sive intra
 judicium. C. 2. 3. h. t. quia Ecclesia læsa mi-
 nori comparatur cit. cap. 2. & ideò instar
 minoris restituitur, si læsa sit, etiam adver-
 sus aliam Ecclesiam cit. cap. 3. imò etiam
 contra sententiam Papæ. cap: ex literis. 4. h.
 tit. sicut & minor adversus sententiã Prin-
 cipis. L. minor. 18. ff. de minor. nec obstat,
 quod dici solet, privilegiatum contra pri-
 vilegiatum non uti suo privilegio, quia id
 verum est in pari cuiusq; causâ; puta si ut-
 terq; læsus sit, & certet de damno vitando,
 quia tunc possidentis melior est conditio.

cap. in pari. de reg. jur. in 6. Secus si unus læsus sit, alter non: vel si unus certet de damno vitando, alter de lucro captando. 3. competit etiam maioribus 25. annis ob justam causam. *cap. ex literis h. tit. præsertim absentia Reipublicæ causa. L. 1. & 2. C. ex quibus caus: major.* juxta illam generalem Prætoris clausulam, *si qua alia justa causa mihi videbitur in integrum restituam.*

2. Peti verò & peragi debet hoc restitutionis beneficium intra quadriennium continuum à tempore læsionis, *cap. 1. & 2. h. tit. in 6.* ex quo subducitur omne legitimum impedimentum *L. 1. ff. de divers. & temporalibus præscript.* modò cognitionem causæ præmiserit præsentem adversario, aut per contumaciam absente *L. 3. ff. h. t. L. in causa. 14. §. causa. ff. de minor.*

3. Effectus restitutionis in integrum est, quod pendente eius judicio regulariter nihil innovandum fit ab unâ vel alterâ parte, *L. un. C. rest. in integ: postulat à, ne quid novi fiat.* nisi cõtra petentem restitutionem fit vehemens præsumptio malitiæ, quod animo protrahendi executionem sententiæ eam petat: nam hoc casu fit executio